

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber  
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput XLIII. De quinque Ave Maria ante communionem legendis.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

*mulieribus*, omnis creatura mirando agnoscit et contestatur me benedictam, et exaltatam super omnem creaturam, tam cœlestem quam terrestrem. Per *Benedictus fructus ventris tui*, benedicitur et extollitur excellentissimus et perutilis fructus ventris mei, qui omnem creaturam vivificavit, sanctificavit, et in æternum benedixit.

## CAPUT XLIII.

DE QUILQUE *Ave Maria* ANTE COMMUNIONEM LEGENDIS.

**D**IE quodam post Matutinos, in oratione dubitare cœpit si din sero Dominæ nostræ Completorium dixerit an non. Unde contrastata Deo negligentiam suam confitebatur, et illico Completorium persolvit. Post hoc legit quinque *Ave Maria* quæ dicere solebat antequam sumeret corpus Christi, quod ad doctrinam aliorum conscribimus.

Primo, Dominam nostram admonebat illius susceptionis qua in virginali puritate filium concepit, Angelo nuntiante, et abyssali humilitate sibi eum a regalibus sedibus intraxit; et orabat obtineri sibi mundam conscientiam et veram humilitatem. Secundo, illius susceptionis mellifluæ, qua ipsum suscepit, cum primo eum in humanitate aspexit, et verum Deum agnovit; orans obtineri sibi veram cognitionem. Tertio, quod omni hora parata fuit gratiam suspicere, nec unquam eam in se impedivit; orans obtineri sibi cor semper divinæ gratiæ paratum. Quarto, quanta devotione et gratitudine dilecti Filii sui corpus in terris sumebat, quia præ omnibus plenius agnovit quanta salus hominum ex hoc proveniret; petens ut dignam gratitudinem sibi obtineret. Quinto, illius amantissimæ susceptionis, qua eam Filius ad se

Qualiter  
ad Filium  
se habuerit  
Virgo Mater  
admonetur.

vocavit; orans ut obtineret sibi accedere cum speciali lætitia; quia si homo agnosceret quanta salus ei ex Christi corpore proveniret, præ lætitia in se deficeret.

Tunc vidit beatam Virginem coram se stantem, et eam amplexibus stringentem; at illa cœpit negligentiam suam conqueri, interrogans si Completorium in sero dixerit, an non; cui Virgo: « Cum nescis si legeris, sic est coram Filio meo, ac si non feceris. »

---

## CAPUT XLIV.

## DE FIDELITATE GLORIOSÆ MARIAE VIRGINIS.

In tribus  
lauda-  
tur  
B. Mariæ  
fidelitas.

**A**LIA vice cum se Deo culpabilem redderet, pro eo quod ejus Matrem nunquam prout debuit dilexisset, nec debitam ei reverentiam et obsequium exhibuisset, ait Dominus: « Pro hac tua negligentia, lauda Matrem meam in fidelitate qua mihi præ omnibus in vita sua fidelissima extitit, in omnibus actibus suis semper voluntatem meam suæ præferens voluntati. Secundo, extolle fidelitatem illius, qua mihi in omnibus necessitatibus meis fidelissime adstitit, ita ut omnia quæ ego passus sum corpore ipsa sustineret mente. Tertio, magnifica fidelitatem illam, qua adhuc in cœlo mihi fidelissima est, in acquirendo mihi peccatores, ut convertantur, et animas ut a pœnis liberentur; quia ipsius meritis innumeri peccatores sunt conversi, et animæ justo judicio meo æternis pœnis deputatæ, per ejus misericordiam sunt revocatæ, necnon a purgatoriis igne liberatæ. »